

---

## Praefatio.

---

**F**ormulas medicas in instituto clinico Vindobonensi sub auspiciis Celeberr. Dom. Professoris Franc. Nob. ab Hildenbrand per triennium concinnatas cum solertia collegi illasque secundum systema Clariss. Prof. Hartmann in ordinem redegi. Ordinans formulas compositas pharmacon principale sequutus sum; adnotavi et sub quolibet medicamento combinationes illius quae in libello occurrunt, formula sub insigniti pharmaci titulo quaerenda semel tantum adlata. In formulis plurimis et morbos adnotavi in quibus praescriptae fuere, inscriptionem vero medicamentorum Diaphoreticorum et Diureticorum quae hic in alia classe occurrunt penitus omisi.

IV

Faveant lectores, considerent hoc opusculum  
primum litterarium meum, conamen, et si fors  
quaedam invenient expectationi non ad amussim  
satisfacientia sicco illa transeant pede.

A u c t o r.